



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Jn Caput XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

In Caput XXV.



Quum vnum album) Hoffmannus in Annalibus.
Inde priuilegia renouare aggressus (Benedictus Ponti-
fex) beneficia & iura à prædecessoribus suis collata reno-
uavit. Qua de re Henricus Episcopatum, album & phale-
ratum equum, ac centenas marcas argenti, sancto Petro & successoribus
eius in singulos annos dandas obligauit. Quam pensionem postea
Leonem IX. remisisse, scribit idem Hoffmannus.

In Caput XXVIII.



Vñ hoc capite de statera & calice aureo referun-
tur, non probat Crancius; nam lib. 4. Metropo-
leos cap. 9. ita scribit: Non habet apud me fidem fabula,
quam Mersburgensis Ecclesia prædicat de calice aureo, cui
ansasit detracta, cum in trutina meritorum ac demeritorum eius (Hen-
rici Imp.) ab Laurentio diuino Martyre iniiceretur calix iste, qui merita
saceret demeritis preponderari. Non solent in sanctos referri, quorum de
virtutibus tam ambiguum est indicium. Nec tam leui momento pendebat
sanctissimi Regis eterna salus, vt vnius pondere calicis trutina illa librans
in vnam decideret partem. Ego sanctissimi Imperatoris meritis indignam
esse duco fabulationem. Potes ex aliis causis ansa esse calici detracta. Ita
Crancius.

Apud Græcos & Latinos spiritualis illa meritorum ac de-
meritorum cuiusvis animæ ex corpore iam iam egressæ, con-
sideratio & quasi examinatio, libræ seu trutinæ similitudine &
pictura mortalium oculis repræsentatur. Hinc illa admodum
frequens imago Michaëlis Archangeli cum statera, in cu-
iis vna parte anima cum meritis: in altera demerita visuntur.
Qua de re pulcherrimè scribit in sua Dioptra lib. 4. cap. 20.
Philippus Solitarius, vetus & Græcus Auctor, cuius verba pla-
cet adscribere: *Quis vel sermo exprimet, vel intellectus tandem capiet,
quam calamitatem necessariò subitura es. quando insabit à corpore sepa-
ratio? Demones maleferiati cum tumultu aduenient chirographa & pec-
catorum aceruos apportantes. Angeli humaniter ea per trutinam exami-
nabunt,*